



HIBERNIA, Regnum.

HIBERNIA quondam multos Regulos habuit: nunc autem sub Anglorum regimine & per Proregem, quem Dominum deputatum vocant, administratur. Ea ex incolatum moribus in duas partes distribuitur. Qui enim legibus teneri nolunt & incultius viuunt *Irishie* & vulgo *vild Irish* id est syluestres Hibernici vocantur: Qui vero Legum potestatem sanctam habent & iudicijs se sistunt, Anglo Hibernici vocantur & eorum regio *the English pale*. Qui in Anglica prouincia habitant, victu, cultu & sermone ab Hibernicis differunt. Nam à priscis Anglorum moribus ne transuersum quidem vnguem discedunt. Anglice naturaliter & incorruptè loquuntur: Hibernicè tamen norunt, propter quotidiana commercia. Autoritate nutaq; Britannicarum Legum Rempublicam administrant: suos tantum ciues mutua affinitate deuinciunt: & Hibernicos procos vehementissima animi contentione repudiant. Hibernici autè primarios quosdam Tyrannos habent, quorum imperio plures tenentur, sub Anglico iure & imperio, nisi simulate & quamdiu Angli milites eorū territoria depulantur, non viuunt. Iudicia tamen propter depredationes & furta nocturna certis temporibus & locis constituunt. Illic reorum, qui accusantur, proprium est: Nego. Si conuincantur, ad litem aestimandam, quosdam arbitros, quos illi *Brehonios* appellant, adhibent. Isti sunt ex vna familia profeminati, qui quamuis intelligentiam iuris non habeant, vulgo tamen propter arcanam quandam scientiam ac moribus acceptam, quasi diuini habentur. Militia eorum partim equestris, partim pedestris est. Equites habent equos valde tractabiles, quos sine vllis admniculis, etiam loricati insiliunt. Hastas bene ponderosas circa medium manibus præhensas supra capita in hostem vibrant. Inter pedites, quidam sunt sagati milites valde robusti, quos *Galeghios* vocant & tela pedalia securibus similia, eaq; gemina, cultris tonforijs acutiora, longiusculis hastilibus affixa gerunt, & totius Hibernici belli fundamentum & robur sunt, secundum locum obrinent. Pedites leuis armaturæ macherophori, qui *Karni* dicuntur, & neminem occisum putant nisi capite truncatum. Tertio loco sunt cursores, quos *Daltinos* vocant, qui inermes incedunt & ministros se præbent equitibus. Totus autem tam equitatus quam peditatus, quoties ad manus venit, alta voce *Pharro Pharro* inclamat: & tibia vtriculari loco tuba vtitur. Verum Hibernia ex situ seu potius rectorum quondam numero quinque continet portiones seu prouincias (Pentarchia enim olim erat) *MOMONIAM* videlicet ad austrum; *LAGENIAM* ad ortum; *CONNACTIAM* ad occasum; *VLTONIAM* ad septentriones, & *MEDIAM* in ipso fere medio; quæ nunc per Comitatus distinguuntur. Habetq; Hibernia in vniuersum Comitatus triginta tres. Archiepiscopos quatuor. Armachensem totius Hiberniæ primatem Long. 12:19. Lat. 55:46. Dublinensem Hiberniæ primatem Lon. 12:40. Lat. 54:27. Cassiliensem Long. 11:2. Lat. 53:7. & Toamensem Long. 9:16. Lat. 53:28. Et hi quatuor viginouè suffraganeos habent Episcopos, quos omnes suo loco & ordine in sequentibus tabulis recensere. Quatuor in hac ciuitates præcipuæ. Dublinia Lon. 12:40. Lat. 54:27. Totius Hiberniæ metropolis est, sedes Regiæ & Archiepiscopalis, Acde S. Patricijac Comitatus titulo exornata. Hic iudicia & publica comitia, quæ vulgo parlamenta dicuntur, celebrari solent. Hic etiam insulæ procuratores vt plurimum consistunt. Secundas partes tenet *Waterfordia* Long. 11:56. Lat. 52:48. Tercias *Limmiricum* Long. 10:4. Lat. 53:14. Quartas *Corcagia* Long. 10:16. Lat. 52:21. Kilkennia scolarum habet opibus Petri Butleri Ormundiæ & Ossiriæ Comitatus extructam.

Medius meridianus 11. reliqui ad hunc inclinantur
ratione parallelorum. 52:30. & 55:30.

VII



52 20 40 53 20 40 54 20 40 55 20 40 56 20 40

7 8 9 10 11 12 13 14

OCCIDENS
OCEANUS OCCIDENTALIS

IRLANDIA
REGNUM

Meridies

Septentrio

VERGINIUS

Miliaria Ibernica
Communia



OCEANUS

Per Gerardum Mercatorem
Cum Privilegio

MARE HIBERNICUM
ORIENTIS

52 20 40 53 20 40 54 20 40 55 20 40 56 20 40

7 8 9 10 11 12 13 14

